

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Opera**

**Priscianus**

**[Venedig], 15. Dez. 1481**

[Prefatio:] Iuliano consuli ac patricio Priscianus salutem

[urn:nbn:de:bsz:31-324175](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-324175)

Ioannes Hieronymus Tullianensis,  
in summo imperio quondam.  
Anno salutis .J. M. C. C. LXXV.  
Vrbano Sanctissimae Vestigiae.

**IULIANO CONSVLI AC PATRI  
GIO PRISCIANVS SALVTEM.**



**Q**VM OMNIS ELOQ VENTIAE DOCTRINAM: & omne studiorum genus: sapientia: luce praefulgens: a graecorum fontibus deriuatum: latinis proprio sermone inuenio celebrasse. & in omnibus illorum uestigia liberalibus consecutos artibus uideo: nec in his solum quae emendatae ab illis sunt scripta. sed etiam quosdam errores eorum amore graecorum doctorum deceptos imitari: in quibus maxime uetustissimi grammatica in arte arguuntur peccasse: cuius auctores quanto iuniores tanto perspicaciores: & in genis floruisse: & diligentia ualuisse omnium iudicio confirmatur eruditissimorum. Quid enim Herodiani artibus certius? Quid apollonii scrupulosis quaestionibus enucleatus possit inueniri? Cum igitur eos omnia fere uitia quaecumque antiquorum graecorum commentariis sunt relicta artis grammaticae expurgasse conperio: certis quoque rationis legibus emendasse: nostrorum autem neminem post illos imitatorum eorum extitisse. Quippe in negligentiam cadentibus studiis litterarum propter inopiam scriptorum: quis audacter sed non impudenter ut puto conatus sum pro uiribus meis rem arduam quidem. sed officio professionis non indebitam supra nominatorum praeccepta uirorum: quae congrua sunt uisa: in latinum transferre sermonem: collectis etiam omnibus fere quaecumque necessaria nostrorum quoque inueniuntur artium commentariis grammaticorum: quod gratum fore credidi temperamentum: si ex utriusque linguae moderatoribus elegantiora in unum uocant corpus meo labore faciente. Quia nec uituperandum me esse credo si eos imitor: qui principatum inter graecos scriptores artis grammaticae possident cum ueteres nostri in erroribus etiam ut dictum est graecos equiparantes maximam tamen laudem sunt consecuti. Exemplum etiam proponere placuit: ne pigeat alios etiam a me uel ignorantiam forte praetermissa: uel uitiose dicta. Nihil enim ex omni parte perfectum in humanis inuentionibus esse posse credo: sua quoque industria ad communem litteratorum professionis utilitatem congrua rationis portione uel addere uel mutare tractantes. Namque festinantius quam uolui hos edere me libros compulerunt: qui alienis laboribus insidiatos



furtimq; & quasi per latrocinia scripta ab aliis surripientes unius no/  
minis ad titulum pertinentis infanda mutatione totius operis gloria  
in se transferre conantur. Sed quoniam in tanta operis materia impossi/  
bile est aliquid perfectum breuiter exponi: spacii quoq; ueniam peto:  
quauis ad Herodiani scriptorum pelagus: & ad eius patris Apolonii  
spaciosa uolumina meorum compendiosa sunt existimanda scripta libro  
rum: huius tamen opus te hortatorem sortitus iudicium quoq; facio.  
Iuliane consul ac patricie: cui sumos dignitatis gradus summa acquisi/  
uit in omni studio ingenii claritudo non tamen accipiens ab excelsis  
gradibus honorum precium: quantum illis decoris addes tunc: cuius me  
tem tam Homeri credo q; Virgilii anima costare: quorum uterq; arcem  
possedit: musicæ te tertium ex utroq; compositum esse ego confirmans  
Quippe non minus grecorum q; latinorum in omni genere doctri/  
nae præfulgentem. Tibi igitur hoc opus deuotico omnis eloquentiæ  
præfuit: ut quantacumq; mihi deus annuerit suscepti laboris gloriam  
te comite: quasi sole quodam dilucidius crescat. Titulos etiam uni/  
uersi operis per singulos posui libros: quo facilius quicquid ex eis quaer/  
ratur discretis possit locis inueniri.

**P**rimus Liber continet de uoce: & de eius speciebus: De lit/  
tera quid sit littera. De generibus eius & speciebus. De sin/  
gularum potestate quæ & in quas transeunt per declinatio/  
nes & compositiones partium orationis. Secundus de syl/  
laba: quid sit syllaba: quot litteris costare potest: & quo ordine: & quo/  
sono: de accidentibus singulis syllabis. De dictione: quid sit dictio:  
quæ eius differentia ad syllabam. De oratione: quid sit oratio: quot  
sunt eius partes: de earum proprietate. De nomine: quid sit nomen:  
de accidentibus ei. Quot sunt species propriorum nominum. Quot  
appellatiuorum. Quot adiectiuorum. Quot deriuatiuorum. De patrony/  
micis: & quot eorum forma: quomodo deriuant: ex quibus primitiuis  
De diuersis possessiuorum terminationibus: & eorum regulis. Tertius  
de comperatiuis & superlatiuis: & eorum diuersis extremitatibus: ex  
quibus positiuis: & qua ratione formantur. De diminutiuis: quot eorum  
species: ex quibus declinationibus nominum quomodo formantur.  
Quartus de denominatiuis: & uerbaliibus: & participialibus: & ad/  
uerialibus quot eorum species: ex quibus primitiuis quomodo nas/  
cuntur. Quintus de generibus dignoscendis per singulas terminatio/  
nes: de numeris: de figuris: & earum cumpage: de casu. Sextus de no/  
i. 2



minatio casu per singulas extremitates omnium nominum tam in  
vocales: quā in consonantes desinentium per ordinem: de genitiuo/  
rum: tam ultimis quā penultimis syllabis. Septimus de ceteris obli  
quis casibus: tam singularibus: quā pluralibus. Octauus de uerbo &  
eius accidentibus. Nonus de regulis generalibus omnium coniuga  
tionum: & praterito perfecto primæ & secundæ coniugationis. Deci  
mus de praterito perfecto tertiæ coniugationis & quartæ. Undeci  
mus de participio. Duodecimus: & tertiusdecimus de pronomine.  
Quartusdecimus de præpositione. Quintusdecimus de aduerbio &  
interiectione. Sextusdecimus de coniunctione. Septimusdecimus &  
octauusdecimus de constructione siue ordinatione partium oratio  
nis inter se in contextu orationis eiusdem.

**De Vocis diffinitione.**

**P**hilosophi diffiniunt uocem esse aerem tenuissimū ictū.  
uel suum sensibile aurium. i. q. proprie auribus accidit: &  
est prior diffinitio a substantia sumpta. Altera uero a no  
tione quam græci ἐμνοϊον dicunt hoc est ab accidentibus  
Accidit enī uoci auditus q̄tū in ipsa ē. uocis autē differētiæ quattuor  
sunt: articulata: inarticulata: litterata: illitterata. Articulata ē quæ coar  
tata: hoc est copulata cum aliquo sensu mentis eius: qui loquitur pro  
fertur. Inarticulata est contraria quæ a nullo affectu proficiscitur men  
tis. Litterata est quæ scribi potest. Illitterata est quæ scribi non potest  
Inueniunt igitur quædam uoces articulata: quæ & scribi possunt: &  
intelligi: ut Arma uirumq; cano. Quædam quæ non possunt scribi:  
intelliguntur tamen: ut sibili hominum & gemitus: hæc. n. uoces quā  
uis sensum aliquem significant: proferentis eas tamen scribi non possunt  
Aliæ autem sunt quæ quāuis scribātur: tamen inarticulata: dicuntur  
cum nihil significant: ut coax: cra. Eas. n. uoces q̄q̄ intelligimus de  
qua sint uolucres profectæ: tamen inarticulata: dicuntur: quia uox ut  
superius dixi inarticulata est quæ a nullo affectu proficiscitur. Aliæ  
sunt inarticulata: & illitterata: quæ nec scribi possunt nec intelligi: ut  
strepitus: mugitus: & his similia. Scire autē debemus: quia has quat  
tuor species uocum perficiunt quattuor superiores differētiæ genera  
liter uoci accidentes binæ per singulas inuicem coeuntes. Vox autē  
dicta est uel a uocando: ut dux a ducendo: uel ἀπὸ τοῦ βοῶ: ut qui  
busdam placet.

**De Littera.**

Articulata  
Inarticulata  
Litterata  
Illitterata